





*adloc. f. 968.*

*7*

*S 20*

*1795,5*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
JVRIDICA  
DE  
**JVRE FOEDERV<sup>M</sup>**  
LIBERIS IMPERII CIVITATIBVS  
COMPETENTE

QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE  
CONSENTIENTE  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO SVM MIS IN VTROQVE JVRE HO-  
NORIBVS RITE OBTINENDIS  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR  
*CAROLVS OLIVARIVS TIMOTHEVS*  
*MIGAVLT*  
*BREMANVS.*

DIE XXVII. JVNII MDCCXCV.

GOTTINGAE  
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

DIGESTA LIBRARIA  
LIBRARIUS  
LIBERIS LIBRARUM CIVITATIBVS  
CIVITATIBVS  
DAB  
EAS LIBRARIBVS RERUM  
HISTORICORVM ORDINIS  
CIVITATIBVS  
IN  
ACADEMIA GROGLIA VAGATA  
1702. MCMXII. LIBRARIA LIBRARUM  
MOTIVARUM LIBRARUM  
PERPETUARUM LIBRARUM  
G. A. VAGATA  
CIVITATIS GROGLIAE TERRITORIIS  
MOTIVARUM  
THE XXVII. JANU. MCMXII.  
GOTTFRIDUS  
LIBRARUM LIBRARUM

**INCLYTAE**

**LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII AC  
HANSEATICAE CIVITATIS  
BREMENSIS**

**SENATVI**

**SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO**

**VIRIS**

**PERILLVSTIBVS, MAGNIFICIS,  
EXCELLENTISSLIMIS, CON-  
SVLTATISSLIMIS, GRA-  
VISSIMIS**

**CONSVLIBVS,**

**S Y N D I C I S**

**A C**

**SENATORIBVS**

PATRIAE PATRIBVS

RELIGIONIS, LIBERTATIS ET JVSTITIAE  
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS  
MVSARVM TVTORIBVS

PATRONIS AC FAVTORIBVS

INDVLGENTISSIONIS

MAXIMO HONORIS CVLTV

DEVENERANDIS

PERENNEM FELICITATEM FAVSTISSIMOSQUE  
SAPIENTISSIMORVM CONSILIORVM  
SVCESSVS

PIE ADPRECANS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

SACRAM ESSE VULT

TANTORVM NOMINVM

DA

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

---

CONSPECTUS.

SECTIO I. Generalia de jure foederum liberis imperii  
civitatibus competente §. 1 - 6.

SECTIO II. De eo, quod iustum est circa foedera civi-  
tatum imperialium secundum leges & observantiam  
imperii & quidem

- a) ex legibus patriis §. 7 - 19; scilicet:
  - α) ex A. B.;
  - β) ex J. P. W.;
  - γ) ex cap. caesar.;
- b) ex Observantia §. 20 - 24. Ubi enumerantur  
exempla foederum civitatum imperialium
  - α) cum imperatore & Germaniae statibus;
  - β) cum exteris.

SECTIO III. De modo exercendi jus foederum in civi-  
tatis imperialibus §. 25 - 28. in specie:

- a) de imperatoris;
- b) de civium consensu.

PRO-

PROOEMIUM.

Praecipuis juribus, quibus suprema potestas ceu mediis ad finem societatis civilis obtainendum sibi competentibus gaudet, ad numerari meretur jus foederum. Foedera enim ad felicem cujuscumque reipublicae conditionem tam conservandam, quam augendam profecto haud parum conferunt. Id quod intuitu illarum in primis obtinet, quae libertati quidem imperiique formae contra injustos impetus defendendis impares, sorte tamen adeo prospera fruuntur, ut potentiorum invidia habendique studium in ipsis excitetur. Ejusmodi res publicae foederum auxilio facilissime res eo deducere possunt, ut iniquis aliorum oppressionibus cum effectu sese opponere atque prohibere valeant, quo minus auctoritati atque viribus

bus hucusque obtentis quidquam detrahatur.  
Sed vel iis rebus publicis, quibus securitas  
externa contigit, maxima utilitati sunt  
foedera, quippe quam plura, quae ad be-  
ne beateque vivendum pertinent, ope pa-  
rum optime definiri possint, quorum com-  
mercii causas, res maritimas &c. referen-  
das censeo. Neque rara sunt, quae in hi-  
storiae monumentis occurruunt, exempla re-  
rum publicarum foederibus auxiliantibus  
summam bonorum viriumque copiam na-  
rum. Ad Germaniae populos si me conver-  
to, hi prae ceteris libertatem, qua ab an-  
tiquissimis temporibus gavisi sunt, tuentes  
ipsaque oppida, ut circumdata retibus lustra  
declinantes, civilem societatem inire diu  
longeque cunctati sunt, atque imperio unius  
detrectato non nisi foederibus juncti commu-  
nem profligarunt hostem, notos illos orbis  
raptore. Neque fundato Germanorum  
regno firmatoque hoc, quo utimur, civi-  
tatis

tatis genere, foederibus saluti suae prospicere, libertatem tueri, tranquillitatem custodire, Germaniae proceres statusque unquam desierunt a).

Quam quidem doctrinam, quatenus ad liberas imperii germanici civitates spectat, in eruditorum scriptis justo brevius expositam reperimus. Quamobrem non incongrua speciminis academici materia mihi visa est, si de jure foederum civitatum imperialium nonnulla differerem.

a) Cf. Perilli, de Berg über Teutschlands Verf. p. 70.

SECTIO

~~Generalia quaedam de jure foederis civitatis imperialibus competente.~~

---

SECTIO PRIMA.

---

*Generalia quaedam de jure foederis civitatibus imperialibus competente.*

§. 1.

In sensu latisimo sub foederum nomine comprehenditur omne pactorum publicorum cum exteris genus. Quo quidem sensu Romani acceperunt foedus <sup>a)</sup>. Strictori vo-

cis

<sup>a)</sup> Menippus apud Livium 1.34. c. 57. Esse tria genera foederum. Unum, quum bello victis dicentur leges. Alterum, quum pares bello aequo foedere in pacem atque amicitiam venirent. Tertium esse, quum qui hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali foedere inter se jungendam coeant.

A

cis sensu accepto foedera denotant *conventiones gentium liberarum de rebus, ad utriusque vel alterius reipublicae utilitatem pertinentibus, initae; verbi causa: de auxiliis praestandis, de receptu hostibus non dando, de commerciis exercendis, & quae sunt alia.*

§. 2.

Singulis, in quas imperium germanicum divisum est, rebus publicis sub imperatoris & imperii auspiciis suae utilitatis promovendae cura relicta est. Quodni foret, hoc, quo utimur, civitatis genus prorsus immutaretur, & sublatis statuum imperii juribus respubli- ca composita in unum indivisumque impe- rium transformaretur. Ex forma igitur impe- rii germanici fluit jus foederis, quod pro- movendae publicae utilitatis causa ratione externorum exercetur.

§. 3.

Singularum autem rerum publicarum inter se conjunctio, & communis imperio subiectio non potest non jus foederum pangendorum restringere. Videndum enim est, ne in detrimentum atque perniciem universae reipublicae compositae vergat, aut securitatem pacemque internam turbet. Quae tamen restrictio impedimento esse nequit, quo minus res publica imperio juncta, si a reliquis sociis bellum & vim hostilem metuat, in sui defensionem foedus cum aliis, exterris quoque, contra reliquos socios inire possit, quia imperans magis obligatur suae reipublicae, quam reliquis sociis *a)*.

Quodsi igitur eveniat, ut quispiam Germaniae procerum naturalem rerum publicarum imperii germanici libertatem laedere,

A 2 vio-

*a)* Conf. J. H. BÖHMER Introd. in jus publ. univ. L. I. c. 1543.

violenterve cum ipsis agere minetur, his non minus, ac reliquis Germaniae principibus ex jure publico universalis competit facultas, vim vi repellendi, viriumque augendarum causa cum exteris foedera jungendi α).

§. 4.

Hoc vero foederum jus tum in primis locum habeat necesse est, quum deficiente juris auxilio nulla, nisi facti via pateat. Qua quidem conditione Germania nostra medii aevi temporibus quam maxime premebatur. „Hisce temporibus arma ubique, leges fere numquam dominabantur: quisque occupabat, quantum fieri poterat per vim” β). Soluta esse vincula societatis videbantur. Civitates primum A. 1254. reducere pacem tranquilitatemque publicam studebant, eumque in finem foedera pangebant. Notatu digna sunt, quae

a) Cf. Ill. PÜTTER Inst. jur. publ. §. 383.

b) Mutius in Chron. Germ. L. 21.

3  
quae narrat abbas Stadenis a): "Quidam  
validus civis in Moguntia coepit hortari con-  
cives suos, ut pro pace restauranda jura-  
mento se invicem constringerent. Consen-  
serunt ei & aliae civitates plurimae. Voca-  
runt eum Wathodonem. Non placuit res  
principibus, nec militibus. Sed neque pae-  
donibus & maxime his, qui habebant assidue  
manus pendulas ad rapinam, dicentes, esse  
fordidum, mercatores habere super homines  
honoratos & nobiles dominatum. At jure  
suo utebantur civitates, ut ex antedictis ap-  
paret.

§. 5.

Mercaturaे prae ceteris operam dabant  
urbium incolae. Super qua quidem imme-  
diatis civitatibus vi juris foederum jungen-  
dorum pacta inire licuit. Neque mediatis  
id recte prohiberi poterat, quia pacta com-  
merciorum causa inita nec rempublicam pri-

missi. Spoldiq. Ait 3. sitnnequlmafio  
a) In fine Chron.

6

mario concernunt, nec jus imperantis viuant. Cujus quidem rei exemplum reperimus in Hansa illa celeberrima. Quotquot enim de foederatarum urbium origine exco-gitarunt conjecturas viri docti, tamen ad unum omnes eoconveniunt, quod Hansa commercii saltem tuendi causa inita fuerit. Quem quidem finem illa quoque numquam non ante oculos habuit, licet succedente tempore, potentia atque splendore maxime aucta, omnium fere, quae Europae gentibus erant, negotiorum publicorum particeps facta est. —

---

SECTIO II.

*De eo, quod justum est circa foedera ci-  
vitatum imperialium secundum leges & ob-  
ligationes servantiam imperii.*  
— nos absq. sive §. 6. modisq. offici bi-  
-ing ius pangendi foedera ius majestatis  
est. Imperantis igitur est, publicae utilita-  
tis

7

tis causa civium nomine cum exteris jungs-  
re foedera, quibuscum ejusmodi inire pacta,  
ad subditos non pertinet, si, quae commer-  
ciorum causa jure possunt sancire (§. 5.), ex-  
ceperis. Inter se autem ut cives foedera  
jungant, supervacuum plane, nec civili or-  
dini congruum videtur. Societatis enim ci-  
vilis vinculum eos omnes aequaliter conti-  
net. Alia autem ratio est in republica com-  
posita, in quam formam quum regnum ger-  
manicum abiisset; non potuit non imperii  
statibus jus foederum pangendorum & inter  
se & cum exteris concedi.

6. 7.

Sed & subditis imperii, si ab imperan-  
te suo defendi nequeant, aliunde sibi defen-  
sionem quarere & foedera inire licet (§. 3.),  
quo quidem jure principes civitatesque Ger-  
maniae longe antea, quam praesens reipubli-  
cae forma existit, usi sunt. Eo autem ipso  
hoc,

hoc, quo utimur, civitatis genere jus foederum pangendorum quam maxime stabilitum est. —

## §. 8.

Prima fundamenta ordinatorum foederum *civitatibus* debemus. Primae enim erant, quae solemni foedere junctae, communem militem ad communem defensionem aluere. Non autem solum foederibus publicae tranquillitatis & securitatis restituenda servandaeque causa initis, sed & illustri illo foedere hauseatico facto, optime de republica meritae sunt.

## §. 9.

Civitates, dvitissimis civiumque numero quam maxima conspicuae, splendidissimis privilegiis ab Imperatoribus donatae, communis utilitatis conservationisque causa, acutissimo vinculo inter se junctae, tristibus istis bellorum intestinorum temporibus summo cum studio id egerunt, ne respublica germanica

9

manica plane dissolveretur. Verum enim vero,  
quae non nisi grata & accepta imperatoribus  
credenda essent, ab ipsis plane improbata  
fuisse videntur. Certe Divi Caroli IV. con-  
tra conspirationes & colligationes civitatum  
constitutione a) foedera civitatum, quum  
a) regionis auctoribus primi

a) A. B. tit. XV. §. 1. Detestandas praeterea, &  
sacris legibus reprobatas conspirationes & con-  
ventionia seu colligationes illicitas, in civitatibus  
& extra, & inter civitatem & civitatem, praet-  
extu parentelae seu receptionis in cives vel al-  
terius enjuscumque coloris, coniurationes insuper  
& confoederationes & pacta, nec non & con-  
suetudinem circa hujusmodi introductam, quam  
censemus potius corruptelam, reprobamus, da-  
mnamus & ex certa scientia irritamus, quas civita-  
tes seu personae cuiuscumque dignitatis, condi-  
tionis aut status, sive inter se, sive cum aliis,  
sine auctoritate dominorum, quorum subditi vel  
ministeriales, seu in quorum districtu consistunt,  
eisdem dominis nominatim non exceptis, sece-  
runt hactenus & facere presumserint in futuro,  
sicut eas per sacras Augustorum praedecessorum  
leges prohibitas non ambigitur & callatas.

B

primum Germania vel paullulum fuerat pacata, plenissime rejecta esse atque prohibita, facile quis crediderit. Nec exiguam habet veritatis speciem conjectura, omnia statuum imperii foedera tamquam auctoritati caesareae contraria imperatori fuisse odiosa, quum vel illas confoederationes, quas principes & civitates ac alii super generali provinciarum & terrarum pace inter se formarunt, in suo quidem vigore manere decreverit, reservata tamen specialiter declarationi suae, donec de iis aliud duxerit ordinandum a).

## §. 10.

Ex imperatoris Friderici I. constitutione desumpta esse, quae Carolus IV. de civitatibus foederibus statuit, nullus in dubium vocabit. b) Quin immo caute id actum videtur,

a) A. B. tit. XV. §. 2.

b) II. Feud. 53. §. 2. Conventicula quoque in civitatibus, omnesque conjurations & extra, etiam occasione parentelae & inter civitatem & civitatem

videtur, ut lex antiqua recentiori plus  
roboris addat. Atque hinc ulteriora aureae  
bullae verba haud difficulter explicari pos-  
sunt. Verum illa Friderici I. constitutio  
non nisi particularis fuit, longobardico scili-  
cet regno solum data, in Germania autem  
nec publicata, nec observata umquam. a)

§. 11.

Quae quidem licet ita sint; constitutio  
tamen illa a Carolo IV. recepta aureaeque  
bullae inserta civitatum confoederationes,  
exceptis iis, quae pacis servandae causa ini-  
tae erant (& haec quoque ulteriori impera-  
toris declarationi reservantur) plane prohi-  
bere videtur. Hinc interpretes ad sensum  
hujus legis de conventiculis, conjurationi-

B 2 bus

tem & inter personam & personam, sive inter ci-  
vitatem & personam, modis omnibus fieri prohi-  
bemus: & in praeteritum factas castamus, singu-  
lis conjuratorum poena unius librae auri punien-  
dis.

a) v. Ludwig Erläuterung der G. B. T. II. p. 118.

bus & colligationibus civitatum statuentis  
erendum varias excogitarunt conjecturas.  
Alii ad Hansam, alii ad opificium societates  
illam spectare voluerunt. Sed utraque sen-  
tentia fundamento caret. De Hansa enim  
omni Germaniae utilissima, non loqui impe-  
ratorem, vel inde intelligi potest, quod con-  
traria ex parte innumerabilia exempla singu-  
laris Caroli favoris in Hansam exstant. Sic  
e. g. ut civitas Brunsvicensis in eamdem ite-  
rum recipiat, curavit imperator. Nec in  
Hansam celeberrimam quadrant verba: *con-  
venticula & conjurations.*

Ac quali vitio laborat conjectura, secun-  
do loco a me nominata; scilicet vocem: *ci-  
vitatem* non nisi male ad collegia opificium  
referri, facile cuivis erit intellectu. Forsan  
verba: *in civitatibus* huc spectare possint.  
Crebras enim tunc temporis fuisse factiones  
confederacionesque domesticas, ex simili-

Fri-

Friderici II. constitutione, anno 1231. promulgata patet. <sup>a)</sup>

§. 12.

Ad verum aureae bullae sensum quod attinet, ille ex ipsius legis ratione satis elu- cescit. Quum enim ex juris manuarii licen- tia aequa, ac ex societatibus, hunc in finem initis, orta essent sexcenties incommoda, huic malo mederi studuit imperator. Cujus quidem voti facilius compos fieri non poter- rat, quam si foederis juri angustiores scri- beret limites. Quod si fugitur laudata lex pae- fertim colligationes civitatum & personarum

B 3                      impro-

<sup>a)</sup> „Revocamus & cassamus in omni civitate & op- pido Allemanniae communia confilia, magistros civium seu rectores vel alios quoslibet officiales, qui ab universitate civium sine archiepiscoporum vel episcoporum consensu beneplacito statuuntur, quocumque per diversitatem locorum nomine cen- feantur. Irritamus etiam cujuslibet artificii con- fraternitates seu societas“. Conf. Datt de pace publ. L, I. cap. XIV. p. 103.

improbatis, sine dubio sub hoc sermone comprehenduntur foedera civitatum mediarum & landsassiorum, in praetudicium dominorum inita. Adnuunt insuper huic interpretationi imperatoris verba: *Sub praetextu receptionis in cives.* Usitatus enim erat mos, ut landsassii & subditi, quin immo principes numero civium sese adscribi curarent, ut junctis viribus alios opprimere possent. Verum ejusmodi consoederationes jam ante aureae bullae publicationem prohibitas fuisse, non est, quod moneam. a)

§. 13.

Quas itaque mediatorum usurpationes, si aurea bulla improbatas haberi vult; tantum abest, ut illa jus foederum, civitatibus imperii liberis competens, abrogaret, ut potius eamdem facultatem maxime corroboraret. Exceptione enim firmatur regula. Excipiuntur autem a prohibitiva lege omnes

a) Conf. Datt l. cit. L. I. cap. XIV.

con-

confoederations & ligae, quas principes & civitates ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se firmasse noscuntur.<sup>b)</sup>

Eo enim rerum peruentum erat, ut, quam civibus imperator praestare debuisset, tranquillitatem securitatemque publicam non nisi propriis viribus consequi quisque potuerit, eamque ob rem contra indolem reipublicae bene constitutae civium confoederations tolerare imperantem dura necessitas coegerit. Ceterum statuum imperii, praesertim civitatum tanta jamjam erat auctoritas atque potentia, ut, quod per saecula exercuerunt, foederis jus subito revocare, e resua non esse, sine dubio imperator duxerit. Sed meliora sperabat, ideoque sibi in sedativa tempora & de ipsis censoederationibus reservabat declarationem suam, firma certo sententia, opportuno tempore principum civitatum-

b) A. B. l. cit.

vitatumque foedera, potestati imperiali periculosisima, penitus abrogandi. Numquam autem rem eo perducere potuit; principes potius civitatesque jus suum foederum pangendorum anxie custodierunt.

## §. 14.

Verum enim vero, quod Carolus IV. sibi reservaverat, ab ipsis successoribus perfectum esse videtur. Sigismundus imperator anno 1431. ut non nisi consentiente imperatore & imperio foedera pangantur, statuit, indicta contravenientibus centum auri puri marcarum mulcta. a) Paullo post reformationem de anno 1441. quae imperatori Friderico III. adscribi solet, omnis generis foedera & conjunctiones prohibebantur & abrogabantur. b) De insidiosis autem

tantum

a) Goldast Reichslazungen T. II. p. 105.

b) Dass im ganzem Reich fürbas kein Bündniss oder Vereinigung aufgerichtet, auch die alten alle

37

tantum securitatique publicae periculosis conjunctionibus scriptas esse istas leges, inde colligi potest, quod imperii status eo ipso tempore jus suum iterum iterumque exerceuerunt, praecipueque civitates imperiales libertatem suam contra creberimos principum impetus tueri foederibus studuerunt. *a)*  
Nec quae in constitutione pacis publicae anno 1548. facta contra conspirationes confederationesque statuum reperimus, *b)* foederum pangendorum juri statibus imperii competenti contraria sunt. Nam si tenorem legis sedulo perpendamus, non nisi in praesidium

alle abgethan seyn sollen; & paullo post, das alter Bund, Vereinigung oder Verstrickung ganz tott und abgethan seyn, auch keine im Reich mehr aufgerichtet werden sollen. Goldast l. c.

p. 166.

*a)* Conf. Pfeffinger in Vitr. illustrato T. III. p. 400.

*b)* Scil. das keiner einige Conspiration oder Bündniss wider den andern aufrichte. Vide Knipschild de iurib. & priv. civit. imp. L. 2. cap. 23. No. 23.

C

dium pacis publicae facta, confoederaciones ad ejus detrimentum spectantes reprobat.

*Sed etiam in his. §. 15.*

Praesertim autem civitatibus hanseatico foedere junctis, quae de mercatorum societatibus in capitulatione Caroli V. imperatoris occurrunt, satis incongrue quidem, noviori adhuc tempore objiciebantur. Societas mercatorum, qui pecuniae via ubique dominantur, abrogandi obligatio imperatori imponitur. *a) Quod quidem ad foedus*

*a) Dagegen sollen und wollen wir die grossen Gesellschaften und Kaufgewerbsleute, so bisher mit ihrem Gelde regiert, ihres Willens gehandelt und mit Wucher, unzulässigen Vorkauf und Monopolien viel Unschicklichkeit getrieben und dem Reich und dessen Einwohnern mercklichen Schaden und Nachtheil zugefügt haben, und noch taeglich einführen und gebaehren thun, mit der Churfürsten, Fürsten und anderer Staende Rath, immassen wie denen zu begegnen, hiebevor auch Bedacht und vorgenommen, aber nicht vollstreckt worden, gar abthun,*

dus hanseaticum spectare existimavit Lib.  
Baro de Spon dicens: a)

„Il est vrai, que cette grande société,  
„qui excluoit les autres negotiants, empor-  
„toit presque tout le profit du commerce  
„& même qu'elle commettoit des monopo-  
„les formels par une convention faite de  
„ne vendre les marchandises, qu'à un cer-  
„tain prix, ce qui donna lieu à insérer à la  
„capitulation le contenu au §. 3.” Melius  
vero, ex mea quidem opinione, res illustra-  
tur a celeberrimo Mosero, b) quippe qui di-  
ctum capitulationis passum ad §. 16-18 re-  
cessus imperii coloniensis refert. c)

Quem-

a) La Capitulation de Charles VII. avec de remar-  
ques instructives p. 174. —

b) Anmerck. zu Karl VII. W. C. Th. 3. p. 97, und  
Anmerck. zu Franz I. W. C. Th. 2. S. 156.

c) Atque hinc inter alia occurruunt verba: „Und nach-  
„dem etwa grosse Gesellschaften und Kaufmann-  
„schaften bey kurzen Jahren aufgestanden, auch  
„etliche

Quemcumque, locum hunc cum capitulatione caesarea conferentem, subibit sane cogitatio, neutram harum legum ad celeberrimam hansam spectare posse. Utraque constitutio non nisi sordidum foenus, quod isto tempore mercatores modo singuli, modo inter se conjuncti faciebant, graviter improbat. In primis huc tendunt verba: bey kurzen Jahren, nec non *sondere Personen*, quae quidem in hansam, fama tum maxime notam, eo minus quadrant, quo majorem operam haec navavit, ut quaecumque impedimenta foenusque injustum a mercatura removeantur. Testis ejusmodi studii sunt querelae in comitiis imperii 1582. habitis, de tute-la, quam Friesiae orientalis comes monopolis

„etliche sondere Personen sind, die allerley Waaren und Kaufmannsgüter — — in ihre Haende allein zu bringen suchen, Fürkauf damit treiben, setzen und machen sich zum Vortheil den Werth nach Gefallen — — so haben wir hiemit solche schädliche Handthierung verboten“ u. s. f.

polis anglicis in ditione sua concesserat,  
prolatae. a) Nec parum roboris sententiae  
nostrae accedit ex praecipuo favore, quo  
imperatores quibuscumque temporibus han-  
sam amplecti solebant. (§. 10.)

§. 16.

Jus itaque foederum pangendorum,  
quod cum ceteris statibus aquisiverunt ci-  
vitates imperiales, tantum abest, ut genera-  
li vel speciali lege sit interdictum, ut po-  
tius imperii legibus expresse sit firmatum  
& stabilitum. Instrumento pacis westpha-  
licae enim inest sanctio: b) „Cum primis  
vero jus faciendi inter se & cum exteris  
foedera pro sua quisque conservatione &  
securitate singulis imperii statibus perpetuo  
liberum esto; ita tamen, ne ejusmodi foe-  
dera sint contra imperatorem & imperium

C 3 pacem-

a) Conf. Moser I. c. T. 3. p. 95.

b) J. P. O. Art. VIII, J. P. M. Art. IX.

pacemque ejus publicam atque hanc in pri-  
mis transactionem fiantque salvo per omnia  
juramento, quo quis imperatori & imperio  
obstrictus est.”

§. 17.

Electoribus itaque principibusque &  
statibus imperii ius foederum secundum ex-  
pressam pacis westphalicae constitutionem  
competit. Antiquo autem licet usu receptum  
fuerit, ut sub generali illa statuum denomina-  
tione liberae imperii civitates comprehen-  
dantur, specialiter tamen in ipso pacis in-  
strumento illarum iura extra omnem dubii  
aleam posita sunt, cautumque est, non so-  
lum ut liberae imperii civitates omnes at-  
que singulæ sub adpellatione statuum impe-  
rii ubique indubitate contineantur, a) sed  
& ut rata iis & intacta maneat regalia  
aliaque iura omnia. b)

§. 18.

a) J. P. O. art. V. §. 29.

b) ibid. art. VIII. §. 4. Ill. Pütter Geist des westphaeli-  
schen Friedens, Gott. 1795. p. 458.

§. 18.

qui si Jus foederum pangendorum statibus  
imperii solenniter concessum, imperatori  
non potuit non esse ingratum. Maximum  
enim erat libertatis statuum praesidium.  
Caute igitur in capitulatione caesarea, ut  
ista legis sanctio ab imperatore fideliter ob-  
servetur, statutum est. *a)*

Immo

*a)* Art. VI. §. 4. Soviel aber die Staende des Reichs  
anbelangt, soll denselben allen und jeden das Recht,  
Bündnisse unter sich und mit Auswärtigen zu  
machen, dergestalt frey bleiben, daß solche  
Bündnisse nicht wider den römischen Kaiser und  
das Reich, noch wider Uns, den allgemeinen  
Landfrieden, auch münster- und osnabrückischen  
Friedensschluß seyn, und daß dies alles unver-  
lezt des Eides geschehe, womit ein jeder Stand  
dem regierenden römischen Kaiser und dem hei-  
tigen römischen Reich verwandt ist; „& §. 5“ daß  
auch die von fremden Potentaten begehrende  
Hülfe also und nicht anders begeht werde, noch  
gethan sey, denn daß dadurch dem Reich keine  
Gefahr noch Schaden zuwachsen möge“.

Immo ipsis capitulationis caesareae  
verbis extensem quodam modo foederis ius  
esse videtur. Cautum enim est in J. P. O.  
ut ius foedera faciendi pro sua cuiusque  
conservatione & securitate singulis stati-  
bus liberum sit; secundum capitulationem  
vero finis foederum non conservatio & se-  
curitas cuiusque esse debet tantum, sed ge-  
neraliter *salus publica* (Wolfarth) esse pot-  
est. Sunt enim interpretes pacis westphali-  
cae, qui ex eius sanctione ius foedera offend-  
tiva ineundi statibus non competere conten-  
dunt. Quidquid vero sit, profecto tamen  
illa capitulationis caesareae verba, in quibus  
quaedam foederum species reprobantur, &  
hic firmant regulam, salvam esse iungendo-  
rum cuiuslibet generis foederum facultatem  
statibus, ideoque & liberis imperii civitati-  
bus. a)

*ad hanc capitulationem pertinet etiam ius foedera faciendi pro sua cuiusque conservatione & securitate singulis statibus liberum sit.*

a) Capit. caef. Art. I. §. 8.

## §. 19.

Neque quaestio moveri potest, an *de omnibus imperii statibus sermo sit in capitulatione caesarea, ubi, foedera non nisi salvo juramento, quo quisque statuum imperatori & imperio sit devinctus, liceat inire sanctum est* a). Plerique enim status juramentum fidelitatis proprie sic dictum imperatori haud praestant, licet eidem officio & fide sint obstricti. Quamobrem, ut commemoratis verbis addantur pauca: *Und der Pflichten, a civitatibus imperialibus monitum fuit ad Caroli VI. capitulationem* b). Sed facile cuivis intellectu est, in capitulatione caesarea pariter atque in I. P. O. vocem juramenti in sensu latissimo sumtam esse, nec ex eo,

quod

a) *Pasus enim hic est: „Und daß dies alles unverlezt des Eides geschehe, womit ein jeder Stand dem regierenden römischen Kaiser und dem heiligen römischen Reich verwandt ist“.* —

b) Vide Moser Anmerk. zu Carl VII. W. C. T. 3.

p. 254.

D

quod solemne homagium imperatori jurent civitates, jus earum foederis angustioribus esse limitibus circumscriptum, posse concludi.

§. 20.

Alterum juris foederum liberis imperii civitatis competentis fundamentum consistit in observantia. Anteaureae bullae publicationem landsassiorum civitatumque mediatarum consociationes fuisse frequentissimas, jam supra adnotavi. (§. 12.) Ex quo autem foederum jungendorum facultas circumscripta, discriminique inter mediatorum & mediatorum foedera posito, haec modo permissa, illa vero reprobata sunt, accidit, ut jus foederum imperii germanici statibus proprium fieret. Plures urbes, sub initio saeculi XII. exempla civitatum italicarum imitatae *a)*, hoc modo noctae sunt immediatam,

*a) Quod primum cum Wormatiensi civitate contingisse refert Lamb. Schaff. ad annum 1173.*

tem, (ut hoc vocabulo utar) vi cuius foederum ius exercuerunt. Quod quidem, quum ne ullo eorum, qui contradicere potuissent, obloquente, factum sit, profecta hinc est observantia. Sane etiam cujuscumque generis quam frequentissima sunt foedera, quae liberae imperii civitates inierunt, in historiae monumentis obvia.

## §. 21.

Primum hic pertinent illa, quae imperator, nec non plures Germaniae principes comitesque cum civitatibus imperialibus junxerunt annis 1357. 1387. & 1389. a) Nominatim urbs Spira & Wormatia 1297. cum imperatore coiverunt b), ut tacitus omittam foedera pacis publicae causâ hisce temporibus quam frequentissime composita c).

D 2

§. 22.

a) Pfeffinger Vitr. illustrat. T. III. p. 407. 410.  
b) Lünig Reichsarchiv Part. special. Cont. IV.

P. I. p. 18.

c) de quibus Datt de pace publica L. I. cap. V.

## §. 22.

Neque rariores sunt confoederations liberarum imperii civitatum cum reliquis Germaniae statibus factae. Vetustissimum hujus rei exemplum exstat de urbe Spira, quae anno 1198. cum Philippo, Sueviae duce, foedus icit a).

Similia foedera prostant in historia civitatis Bremensis. Prae reliquis hic laudari meretur pactum, quod illa anno 1261. cum Joanne comite Oldenburgenfi super bello gravi finiendo mutuoque auxilio in posterum sibi invicem praestando iniit. b) Alia porro foedera ex dissidio atque bellis, quae Bremenibus cum Frisiis reliquisque gentibus Visurgi adjacentibus prodierunt. Plures Rurstringorum optimates in urbis Bremensis tutelam se recipi curarunt. Sic, ut exemplo res illustretur,

a) Lüning 1. c. p. 464.

b) von Halem Geschichte des Herzogthum's Oldenburg T. 1. p. 457.

tur, duo horum optimatum anno 1382. societatem coiverunt cum Bremensibus, mille equites peditesque in auxilium se missuros, pollicitis. Ad quod quidem foedus anno 1400. Mauritius III. comes Oldenburgenis una cum totius archiepiscopatus equitibus accessit a).

§. 23.

Quodsi etiam ad extera regna spectemus, haec saepenumero in partem foederum veniunt, quae liberis imperii civitatibus cum aliis intercessere. Fuerunt v. c. reges Galliae & Angliae foederis smalcaldici participes b). Clarissima vero ejusmodi exempla ediderunt urbes foederatae, quorum potentia conditioque saepius in causa fuerunt, ut exteri iisdem sociari curarent. Hinc Fridericus II. Daniae rex, anno 1563. cum urbe Lubécensi foedus in regem Sueciae composuit c); im-

D 3 mo

a) von Halem l. c. p. 275.

b) Sleidan de statu reipubl. cap. 17.

c) Pfeffinger l. c. p. 425.

mo bellum inter Bremam atque Philippum, Burgundiae ducem, gestum anno 1446. transactione sotpum est *a*). Nec omittere possum pactum, quod Bremenses eorumque socii, unitis Brabantiae, Genuae, Hollandiae, Hispaniae atque Scotiae viribus diu fortiter renixi, anno 1445. cum Jacobo, rege Scotiae, inierunt *b*).

Aequem memoratu dignum est foedus Bremensium atque Hamburgensium cum Belgia, confoederata ad securitatem & libertatem navigationis, commerciorum & quarumcumque negotiationum in mari septentrionali usque ad angustias Visurgis Albisque annis 1615. & 1645. factum. *c*) Accidit praeterea, ut post confoederationem anno 1607. initam, occasione pacis westphalicae privilegia maximi momenti civitatibus sociis compe-

*a*) J. P. Casselii progr. de a. 1768.

*b*) Ejusdem progr. de a. 1769.

*c*) Lanig I. cit. P. II. p. 142. & 150.

competentia a Philippo IV. rege denuo confirmarentur. a) Neque minoris ponderis sunt illa, quae foederibus cum Gallis, Ludovico XI, XIV. XV. regnantibus, initis originem debent, Quo e. c. ius *neutralitatis*, indigenatus aliaque plura referri merentur. Recentissima vero exempla pacta Gallorum cum Hamburgensibus annis 1769. & 1789. composita nobis offerunt. b)

## §. 24.

Ad foedera, quae Germaniae urbes *inter se* invicem inierunt, quod attinet, Hansae modo mentionem faciam, quippe quae inter reliqua vel propterea eminent, quod antiquum vigorem, quantum fieri potuerit, vel ad nostra usque tempora retinuit. \* Ad ipsius origi-

a) Idem p. 153.

b) *Du Mont corps diplomatique* T. VI. P. II. p. 102. & T. VIII. P. I. p. 473.

c) Quos juvat, ubiorem foederum indicem perstrare, ii adeant Pfessingerum in Vitr. illustratio t. III. p. 400. seq. De foederibus Bremenium ob mercaturam per Viburgim secure faciendam le-

nem quod attinet, exploratum habemus, urbes, opportuno situ adjutas, ex quo singulari industria locupletatae, fere omnem mercaturam sibi vindicaverant, non in Germaniae modo principum invidiam incidisse, verum etiam potentiorum amori habendi nimis obnoxias esse redditas. Quae quum ita fuerint, illae non potuerunt non intelligere, quantum utilitatis ex arctiori vinculo ad semetipsas redundaturum foret. Mox igitur plures se conjunxere, id quod Hamburgum & Lubeca anno 1241. mercaturae contra piratos septentrionales tutandae causa fecerunt, ex quo plures historicorum Hansae originem repetere volunt. Aliud foedus anno 1259. Bremenses cum Hamburgensibus composuere, a) eum

gi meretur Perill. de Post in diss. sua: *de cura amplissimi senatus Bremenensis circa rem nauticam*, Göttingen 1780. Separatim quoque agit de Bremensium societatibus b). Casselius in variis programmatis, annis 1766-1769. editis,

a) Pfeff. 1, c.

eum in finem, ut mutuum auxilium contra quoscumque praefastaretur, & conjunctis viribus mercaturae flos promoveretur. Quin immo Hansa ad summum splendorem proiecta postquam sensim sensimque variis ex causis plurimos socios prorsus amisit, Lubeca, Brema & Hamburgum foedus restaurarunt anno 1630.

a) Quae societas, licet umbra sit pristinae Hansae, quae regibus regnisque leges dicebat, & in negotiis publicis cujuscumque terrae tum notae plurimum valebat; nihilo tamen secus peculiaris trium illarum civitatum conditio secundam praebet exspectationem, fore, ut arctiori vinculo junctae antiquam libertatem semper tueantur & antiqua industria res suas in dies augeant, commerciisque suis universae Germaniae utilitatem maximam praebant, atque sub imperatoris & imperii auspiciis, tutelaque sancte promissa, b) civium salutem optimo promoveant successu.

## E

## SECTIO

a) Ibid.

b) Cap. caef. Art. VII. §. 2.

## SECTIO III.

*De modo exercendi ius foederum.*

§. 25.

Restat, ut de modo ius foederis exercendi nonnulla in medium proferam. Praeter generalem imperii sanctionem, ius foederis ita esse exercendum, ut ne fiat damnosum imperatori & imperio, occurrit in aureae bullae tit. XV. §. 2. alias argumenti dispositio: foedera scilicet statuum *caesaris declarationi esse reservata a)*. Ex quibus verbis colligere quidam conantur, ad componenda foedera statibus imperii opus esse consensu imperatoris, idque praesertim intuitu librarum imperii civitatum obtinere, quippe quae arctius ac reliqui status imperatori junctae sint. Accedunt quam plurima foederum

a) Verba legis sunt haec: „Illas (scil: confoederations licitas) enim nostra declarationi specialiter reservantes in suo decernimus vigore manere, donec de his aliter duxerimus ordinandum.”

derum civitatum exempla a caesare confirmatorum, nec non privilegia hac de re indulta. Cujus generis est privilegium civitati Suinsurthensi concessum, eo spectans, ut cibibus, prout hoc ipsis utilissimum videatur, cum aliis sese conjungere liceat, quo sua jura salva & intacta maneant a). Aliud Sigismundus imperator tulit anno 1422. ut universae nobilitati Sueviae cum civitatibus imperialibus foedera contrahere liceat b). Maximi porro momenti videtur rescriptum imperatoris anno 1353. quatuor pagis helveticis hisce verbismissum: „Ihr hörent ohn alles Mittel dem Rych zu. Sollent und mögent euch nit verbinden ohn myn wüssen und willen“ c). Quin immo foedus, quod civitas Eslinga cum comitibus Wurtembergicis

E 2 A nno

a) Lüning RArchiv. P. sp. Cont. IV. P. 2. S. 409.

b) Knipschild de iuribus & priv. civitatum imp.  
L. 2. c. 23. No. 15.

c) Goldast I. c. T. 2. p. 43.

anno 1395. init, pro nullo declaratum atque unio anno 1610. occasione juliacensis controversiae celebrata, idcirco improbata, quod consensu imperatoris carerent a). Quodammodo etiam hoc pertinet locus in Handhabung des Landfriedens zu Worms 1495. art. V. obvius: Auch sollen wir und unserer lieber Sohn, Erzherzog Philipp, auch unsre Cürfürsten, Fürsten und Stände des Reichs ohne Wissen und Willen jährlicher Versammlung kein Krieg oder Vaehd anfahen, noch einig Bündniss mit fremden Nationen oder Gewalten machen, die dem Reich zum Schaden und Nachtheil oder zu wider seyn möchten.

§. 26.

Verum enim vero, quid de declaratio-  
ne imperatoris in A. B. reservata sentiendum  
sit, jam supra notavimus (§. 13). Reliquas

autem

a) Conf. Datt. de pace publ. L, I, cap. 13.

autem ordinationes quod attinet, temporarias eas tantum fuisse, haud temere dicas. Respiciunt nimirum ad solum pacis publicae praefidium, quod praesertim imperatori curae cordique fuit, quum saepissime accideret, ut sub specie foederis in securitatem publicam facti, pax ipsa quam maximè laederetur. Quamobrem a re haud alienum visum est, ejusmodi confoederationes diligentius sub examen vocare. Posteaquam vero jus foederis tamquam pars superioritatis territorialis praeципue per pacem westphalicam imperii germanici statibus nullo modo restrictum, nisi quod foedera contra imperatorem & imperium reprobentur, communicatum est, profecto ejus exercitum speciali concessione haud indiget.

§. 27.

Quae quum ita sint; nec cujusvis quidem imperii germanici status facultati, suo jure

E 3. foedera

foedera cum aliis jungendi, quidquam propter ea detrahatur, quod civitates imperiales recentiori aevi exercitium ejusdem juris sibi competentis confirmatione caesarea muniri curaverint. Has enim saepius privilegiis sibi caovere, ubi iis plane opus non est, sane neminem fugiet. Cujus rei exemplum edidit Suinfurthum, quum pro jure molendinarum exerceendo privilegium a caesare petiit a). Nec aliter se res habet, quum sermo sit de rebus majoris ponderis, quarum ratione civitates imperii privilegia ab imperatore quae siverunt. Haec enim non juris consequendi, sed corroborandorum negotiorum causa adquisita sunt. Profecto etiam civitates imperii, quoad juris foederis exercitium instar liberarum rerum publicarum salvo tamen illo nexu, qui ipsis cum Germaniae imperio intercedit, dijudicandae sunt.

*asibus invicem uniti amicis  
omni offi grecis anach lionibus* §. 28.

a) Vid. Lüning, l. c., Cont. IV. P. II. p. 40r.

## §. 28.

Quatenus singuli civitatum imperii ci-  
ves in partem ineundorum foederum vocan-  
di sint, id plerumque ex peculiari cuius-  
cumque civitatis constitutione definiendum  
est, quae quidem prout aristocraticae demo-  
craticaeve imperii formae proprius accedit,  
civium consilio consensuque plus minusve in-  
diget. Varia admodum est singularum civi-  
tatum imperii intuitu hujus rei observantia,  
quam enumerare libelli hujus fines prohibent.

THESES.

*Patiens de non praestanda evictione est va-  
lidum.* II.

*Depositario ob impensas, in conservationem  
rei depositae factas, competit jus re-  
tentionis.* III.

*Debitor obaceratus durante concurso for-  
mali bonorum adquisitiones in prae-  
iudicium creditorum repudiare nequit.*

IV.

*Remedio L. 2. de resc. vend. in subha-  
stinatione publica laesus quoque uti  
potest.* V.

*Moratorii causa non datur retorsio.*


(X 228 2109)

**ULB Halle**  
005 458 358

3







*DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
JVRIDICA.*

DE  
**JVRE FOEDERV M**  
LIBERIS IMPERII CIVITATIBVS  
COMPETENTE

QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE  
CONSENTIENTE

ACADEMIA GEORGIA AVGSTA

PRO SVM MIS IN VTRO QVE JVRE HO-  
NORIBVS RITE OBTINENDIS  
ERVDITORVM EXAMINI SVMITTIT

CAROLVS OLIVARIUS TIMOTHEVS  
MIGAVLT  
BREMANVS.

DIE XXVII. JVNII MDCCXCV.

## GOTTINGAE

TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.